

3)

ROMA
CHRISTO REDDITA
ÆQUIS CONDITIONIBUS
DIVUM
JOANNEM
EVANGELISTAM
INTER, ET
DOMITIANUM
ANTE PORTAM LATINAM
CONFECTIS.

Cum
INCLYTA FACULTAS THEOLOGICA
Coram

Antiquissima, ac Celeberrima
UNIVERSITATE VIENNENSI
Annuam ejusdem Tutelaris sui Venerationem recoleret

DEFERENTE

Admodum Reverendo, ac Clarissimo Patre

FRANCISCO XAVERIO
STADLER,

E Societate JESU, SS. Theologiæ Doctore, ac Professore Ordinario, nec non p. t. ejusdem Inclytæ Facultatis

Theologicæ

DECANO SPECTABILI.

ORATORE

Reverendo, Religioso, Pranobili ac Perdocto Domino

ATHANASIO de CHAMPAIGNE,
Ord. Cisterc. Celeberrimi, ac Exempti Monasterii
B. M. V. ad Montem Pomœrium Professo.

Anno Domini M. DCC. XII.



Typis Ignatii Dominici Voigt, Uni

R E V E R E N D I S S I M O ,
P E R I L L U S T R I ,
A M P L I S S I M O ^{A C} D O M I N O ,
D O M I N O
C A N D I D O ,

Sacri, & ab Origine sua exempti
Ordinis Cistercienfis

Celeberrimi, & Antiquissimi Monasterii
B E A T Æ M A R I Æ V i r g i n i s
Ad Montem Pomœrium, Superioris
Austriæ

A B B A T I .

Vigilantissimo,

S S . T h e o l o g i æ D o c t o r i ,
S A C R Æ C Æ S A R Æ M A J E S T A T I S
C O N S I L I A R I O ,
&c. &c.

Patri, ac Mecænati suo
Gratiosissimo.



Reverendissime , Perilluistris,
Ac Amplissime Domine ,
DOMINE
PATER, AC PATRONE
GRATIOSISSIME.

Explica Paternos, quos clausos nemini, patere omnibus Tua vult Munificentia, amplexus filio. Theologico a stadio, in quo altè impressa Posterorum incitamento Tua perennant vestigia, ad Te divertentem tenuem licet admitte Oratorem. Tuam in se alii felicitate ingenii provocarunt beneficentiam, ego infelici quantumvis Eloquentiae conatu in Te (parce audaci vocabulo) prope sum munificus, dum perenni fonte promanantibus in me Gratiis unicum repono Gratiam, sed eam gratiarum omnium Epitomen Joannem. Tua ille Religiosa inter Pomæria defigit oleas, quas Latina inter Pomæria Domitianus vidor extorsit; quem ob assertam Christo Romam, Victori cælum decernit, in Amplissimo Virtutum Tuarum circo apparat triumphum. Nec negare potes hoc officium Joanni, nec patrocinium mibi. Ita cum Joannis effigie animi Tui lineamenta morum similitudo confudit, ut nulla pagina Tuis vacua sit encomiis, cum nulla non plena sit laudibus Joannis; Tu in Joanne multus, plurimus in Te Joannes occurret. Ille sub tutela Matris Virginea im amplas Spes Virgo adolevit; quo Tu sub numine, haud ægre disquiri-

mus : Mariano Dux præs agmini , commilitonibus Bernardi. Illum Virtus Ephesinis coronavit Insulis ; Tibi emula Pietas vel invito iniecit Mitram ; utriusque ad Sacri Honoris culmen se se in gradus merita substravere. Rara Tibi felicitate Jubilæus Regalis Sacerdotii illuxit annus ; Si recte annorum ponamus calculum , illuxit & Joanni. Hic Collegii Apostolici contubernales vitae æquavit sandimoniam , etate omnes transcendit ; nemo Amplissimum Præsulum Te longa annorum serie facile superior , quod fortunæ est ; annosque singulos novis audiores Virtutibus anno tradis venturo , quod industriae Tuæ. Illius fortitudini profligatis gentilium Sacris Christiano se redditam nomini Roma debet ; Tuis consiliis salvam se , atque incolumem inter adfrementum armorum terrores Austria ; Illi Tyberis , Tibi Anisus , uterque hostili liber compede , grato murmure applaudit. Joanni Principi , ac Antesignano suo Laudatoria hac dictione annum pendit vedigal Inclita Facultas Theologica ; Tu quoque Purpuratos inter Viennensis Athenæi Proceres Augustum Scientiarum Decus. Injice Athletæ fortissimo gloriosam purpuram , quam Deorum pretio , labore emisti improbo. Incinge Ovantis verticem Eruditâ laureâ , quam largo irrigatam sudore Tuæ imposuit Sapientiae Theologia coronidem. Adde Triumphatori festivos in aplausus , exiguum hoc clientelaris obsequii pignus , quod Te auspice æternum Tutelaris nostri Honoribus vivere volo anathema ; me vero , meaque omnia in Tuum Patris , ac Mecœnatis Gratiissimi sinum conjicio.

Reverendissimæ Perillustris ac Amplissimæ Dominationis Tuæ

*Humillimus , & Obsequientissimus
Servus , & Filius.*

Athanasius de Champaigne.



ORATIO.

Augusta Imperii Aquila, quæ nullo corona-
rum, nullo Regnorum æquatam pretio in Au-
striae amplexus gemmam reposuit, festivam
hodie memoriam, quantum illa quidem à dul-
ci affectuum suorum pabulo abstrahi, avel-
lique potest, ad Cæsarea Quiritum mœnia
convertit. *Per illustris, ac Magnifice Domine Rector, Admo-
dum Reverende, ac Clarissime Pater Inclita Facultatis Theologi-
ca Decane spectabilis, Senatus Populusque Academice.* Idem
namque Jovis Austriaci armiger ales est, idem Joannis: Vir-
gineæ hujus dexteræ pennam inserit ad delineandam Æterni
Verbi genesim, avitum illius solium vindice armat fulmine
ad exarmandam Æmuli potentiam, nostras etiam, quas do-
mestici solis fulgore percussas lætamur, acies, constantia im-
buit, ne hinc in par Orbi Urbis fastigium, inde in celsiore
septenis arcibus JOANNIS magnanimitatem defixa gemi-
nata Romanæ Majestatis, & Apostolicæ fortitudinis luce
opprimantur. Quæ de illa è Fastorum, Annaliumque ru-
deribus propinat antiquitas, vulgata sunt, & seculorum
omnium protrita laudibus: Romanos rerum dominos,
Romam mundi caput, arcem nationum, ac Regum, Ter-
rarum, gentiumque Deam extitisse, quod & supra quoslibet
mortaliū elata apices, fata, legesque supplici dispen-
savit mundo, & Regnorum omnium, quæ à rerum incun-
bulis Deus esse voluit, supergressa magnitudinem, incon-
cussum purpuræ suæ decus gentibus adorandum ostentavit.
Magnificè siquidem, & è rei dignitate Aristides, in magnæ
urbis fossas, porrecta immensis littoribus flumina immittit,
& maria, pro turribus, & propugnaculis militaria in finibus

castra statuit, & castella, mœnia non è latere , aut lapide, sed
ære, ac ferrōtot prætendentium legionum attolit. Nec va-
tum somniis accensendum Plutarchi encomium : fortunam
alatam, ac vagam , cùm modò Assyrios, Medos, Persas, Ma-
cedones, Carthaginienses hospes lustrâsse, ad Tyberim alas,
volubilemque globum posuisse , & civitate donatam æter-
num in Capitolio domicilium fixisse. Servant adhuc Augu-
sti cineres nullis sepulchri legibus interceptam aviti nominis
Majestatem , & quanta olim , quæ territa nullo vulnere post
Cannas major, Trebiamque fremebat, quām excelsa stete-
rit, tumuli amplitudine metimur. Ut enim in posthumā
ossium congerie Giganteam Polyphemi molem miramur, ita
ex immenso urbis , Imperiique cadavere, quod Purpurati to-
ties ferro , flammisque dilaniarunt vultures , altricem Her-
oum Amazonem, etiam post fata veneramur. Qua in re ,
humanā altioris Diphteræ calculum adoro , exiguis profe-
ctam auspiciis potestatem , per substrata tot Imperantium
colla, ad terrarum culmen provehentis, ut, quod glorioſius ad
deficientis usque naturæ limites , cum sole utroque viētrix
Roma procurrit, eò latiūs orthodoxæ veritatis radios ortæ
recens Ecclesiae lux quaquaverfum diffunderet. Debuit
Triumphale Capitolium devictarum gentium superbire
exuvii, ut laureato super vertice explicata crucis labara
augustiūs fluctuarent: ut formidata Erebo fidei petra caput
attolleret altiūs, septemgmina rupes in basim deprimi de-
buit: ita, qui laureatis olim classium vinculis non Europam
duntaxat Asiat, sed quidquid mortale, sibi tributarum jun-
xerat , nunc pectoriā Petri cymbulā sua cœlitibus miscet
commercialia sanctior Tyberis. Prolusit nempe jam tum To-
gata Conscriptorum Patrum Curia Purpuratorum Princi-
pum Senatui , & in Numa Pompilio , perpetuaque Flami-
num serie ut ut rudia Vicariæ Dei in terris potentiae linea-
menta eluxere. At, licet, quam à Parente Romulo fraternis
lactatam cædibus accepimus Lupæ alumnam, à ferali ubere
Angelicis admotam dapibus Collegii Apostolici Præfidi de-
beamus, nescio tamen , quād iniquā Religionis fatō crudele
Caligulae votum crudelior anteverterit Nero, ut in una Mi-
trati Principis cervice needum adulta Christianæ propag-
nis spes prope omnis procumberet. Et insultaret fortassis
etiamnum profligatae à Tiberio Pietati viētrix in Domitia-
ni purpura Impietas , nisi Ephesina è specula sanguineis im-
plicatam fluctibus miserata JOANNIS Fortitudo Italæ vo-
tis illico præsentissimum Numen affulsiisset.

Ille ille Romanæ Libertatis & vindex, & custos luctanti cum offusa caligine veritati melioris dici immortalitatem accedit, tantoque repente nominis sui fulmine confederatam orco infregit Tyranni ferociam, ut disjectis errorum repagulis Triumphant Ecclesiae Romana cum templis corda, animique paterent; iisque paterent secundissimis legibus, quas & ultimum Furoris ingenium dictare, & dato sanguine Heroa Apostoli Constantia ardebat communire. Excutitur quidem instruictissima Rhadamanti officina; at inter æmula Averno supplicia victore gressu Christiana einmet fortitudo. Derivantur ignei è styge vortices; sed nullis afflantur incendiis illibatae virginitatis nives. Colliquecit amica pacis olea in nova rogi pabula; verùm, quid Olympum feriat? quid celsiorem Olympo JOANNIS animum? non ambabus duntaxat manibus, sed pectore toto, toto corpore proruit in splendidiores colluentibus undique flammis deditiois tabulas Invictus pugil, erectamque tam luculentí prodigií Majestate Romam Christo asserit, Christum Romæ restituit. Huc, dum instaurata Tutelaris Tui veneratione, annua hodie Te vota agunt Inclita Facultas Theologica! unus ego verecundo, suspensoque pede Tullianis adrepo pomœriis, identidem mihi occinens: tantum infra Romanæ eloquentiæ gloriæ infelices ingenii mei conatus subsidere, quantum Quirinales supra vertices JOANNIS emicat magnitudo. Illud unum abjecta jam jam hastâ circumspectantem latibula in publica solennitatis hujus luce me confirmat: tam terrifico concrepantium flamarum fremitu oppressum iri omnem vocis, quantumvis valentissimæ vim, nec facile dictiois meæ deprehendi posse inopiam, ubi humanâ facundiâ altius, facundiisque immortalia resonant facinora JOANNIS.

Illustre JOANNIS nomen, gentilitias inter natum, educatumque Charites, Martem spirat, & prælia, & quem sinu abditum Paterno, maternoque sovit amplexu agnatus Amor, Sanctior hodie Bellona Virtutis theatro infert, cum Romana Tyrannide pro Christiana libertate infestis armis collendum. Non enim Thaboræum verticem fæcunda amplius gaudiorum nubes obambulat, alia longè, eaque feralis è Tarpeio culmine remugit tempestas, & si è Domitianus supercilie capienda auspicia, in JOANNIS simul, ac adolescentis fidei exitium ruitura. Discussus est altus sopor, quiescentis Divino sub pectore innocentia, nec vanis lusit imaginibus nocturnus ille Protheus, dum in mente Virginea rogos, &

incendia vaticinis coloribus depinxit. Succedunt festivo
Amoris balneo, unde speciosi effulgent Evangelizantium
pedes, ebullientes Furoris procellæ, nec tantum pedes, sed
& manus, & caput in crudelitatis alimentum depositunt. Illa
ipsa pacis, ac amicitia Symbola, quorum fidelis umbra Sica-
riorum laqueis exemit profugum, sparsæ per Olivetum oleæ
iras nutriunt, bella denunciant, in flamas vindices solvun-
tur. Tam immanibus tormentorum undique adfremen-
tium auguriis perculta Oratio, non potest non præcipitem
Divi intercipere cursum, & ex Asia in Europam provolanti,
interprete omnium voce, quantum illam per intempesti ma-
ris licentiam attollere licet, validissimè obviare : O nimiùm
Dilecte DEO! O suprema Apostolici sanguinis stilla! ah ob-
verte explicatam in carbasa virgineam sindonem. Heu fu-
ge crudeles terras, fuge littus avarum humani sanguinis, &
tuð, quod navigas, elemento truculentum magis. Necdum
deserbut innoxii fletibus restagnans latè Tyberis; necdum
decrevit accumulatus, aggestusque acervus funerum; nec-
dum detumuere torrentes sanguinis, Martyrum cæde pur-
pati. Furit, fremitque etiamnum septena inter claustra,
innocentum tabe maculata tigris, &, quod à nutricibus in-
stillatum Furiis combabit toxicum, in Tuum gestit caput re-
gere, quos in proborum cervicibus hebetavit acinaces, Tu
jugulo Trabeatus Furor intentat. Ardent, ardent redivivæ
in Domitiani pectore Neronis faces, Teque refuscitata Busi-
ridis Sacra Sacrilegis Flaminum aris nobilem victimam de-
cernunt. Ah noli in tua fluctuantis Ecclesiæ cymbalam, in
Te ægrè spirantes Christiani nominis reliquias, codem abi-
pigurgite, codem tumulò mergi. Si fixum, firmumque est:
amarulento quantumvis calice pulcherrimam nundinari sta-
tionem, dexterumque æterni Solii per Heroa vulnera occu-
pare latus; noli gloriosum poculum, Ecclesiæ confundere
lachrymis; proborum civium miscere sanguine, tranquilli-
tatemque nostram Tuo inhærentem Capiti, ac tantis undi-
que jactatam fluctibus, præcipiti haustu prodigere,

Sed apage imbellies nærias ! qui elati in crucis pulpi-
tum Magistri magnanimas prælectiones avidus accepit Di-
scipulus, qui insertis olim per oscula Charitatis Divinæ pedi-
cis, fugiente non fugit natura, qui collisis Golgothæ specta-
culò Marpesiis cautibus intra Constantiæ vallum stetit in-
trepidus, inani suppliciorum fragore concutiatur? incline-
tur? se fugâ subducat? furda prætervectus aure molle car-
men adest, adest Divinior ante Portam Latinam Hannibal,
non

non Italiæ, Orbisque Romani onustus exuvii, sed pretiosissimis animarum incumbens spoliis, non ferreo armorum accinctus syrmate, sed excelso numerosus spiritu, & quod Liviana quondam adulatio Horatiis suis immane suspendit Elogium: pares exercitibus gerens animos JOANNES adest. Ululate hic propempticon funebre migraturis Deorum monstros Tartareae ulula; subsidite in valles clata Delubris collum pinnacula; inclina Augustum verticem Tarpeia rupe, & purpuratos cruci humeros substerne triumphanti. Nec inter inania se se vota frangit juratus cœlo ardor: En posita nativa gratiarum Iride, coruscantem domestica inter fulgura tonitri filium! Nescio, quid supra mortale robur, ac Divinum meditans, in arenam profluit, ac pulverem, & cui tot invicti Athletæ suprema inscripsere morituri suspria, campum Martium alacer invadit, sequi ferocienti superstitioni objicit, adverto pectore aras Numini vindicaturus. Explicat hinc, quas sub signis stipendiarias alit, veteranas Virtutum acies, non aliud, quam Constantiæ clypeo, quam Bonæ Causæ ægide obarmatas. Lacescit impavidus pervi, eaces portarum obices, & impacto sæpe sæpius crucis ariete adamantina Latii, repagula procumbunt: modò deprompto è veritatis pharetra lethali jaculo non uno vulnere, adulta robustaque sternitur gentilitas, modò evibratis, quibus conculuerat, sacri ardoris ignibus, in medullas Tyranni, ac viscera felix incendiarius græsiatur. Et ne quid ad justi furoris decesset cumulum, rubentem, ardentemque Heroo in cinere cruentum Martyrum, immixta crux lachrymarum fluenta, in vindices armat suppetias, in ultrices animat torrentes. Vividus ipse vegetusque in Augusto corpore ætatis provecta succus, qui è cordis scaturigine in vultum omnem procurrens senilem hyemem vernâ inspergit purpurâ, gestit effractis venarum prosilire ostiis, atque imperterritis Majorum infusus vestigiis gloriosam signare orbitam, quæ victrix de Impietate Religio per calcatas Domitiani cervices Romano folio inferretur. Credentne olim ventura canescantis Ecclesiæ sæcula, ab inermi, contra vallatam tot armorum præsidii Tyrannidem, à decrepito adversus exultantem inter Patriæ funera adulterinam Deitatem, ab uno JOANNE in confederata flagitorum agmina, tam gloriosam suscepitam esse expeditionem? & iis suscepitam fortunatissimis auspiciis, ut, quidquid diurna gentilitas Divinitatis simulachris suis in sculpsérat, triumphalibus Apostoli vestigiis attereretur. Sennit namque taciti vim Numinis diffusa per aureos, gemmeos-

que imaginum artus Erebi potentia ; conticescunt everso tri-
pode fecundi Oraculorum lucus ; algent aversâ flammâ sacri
Vestalium cineres ; gemit intercisâ suspiris concussum ter-
rore Pantheon ; expallescit innexa Feretrio Jovi triumpha-
lis lauria ; in extis, ac palpitante avium sanguine sinistra A-
ruspicum auguria contremiscunt. Tantus nempe cœlestium
armorum fulgor, tam terribilis è Divi supercilie exarsit, ut
incassum protensis orco Ancilibus se se obarmatum gloriatur
sacrilegum Deorum vulgus, ubi humanis destitutæ præsidiis
manifesta opitulantur prodigia pietati. Quid verò in com-
muni Romanæ Urbis trepidatione, digesto necdum, quem
plenis hauserat cyathis, cruento temulentus & ferociâ animi
Iupra suos intumescens colles Domitianus ? Poterat Paluda-
ta Tyrannis, profunda Tulliani nocte nostrum sepelire solem :
non enim Germanos credebat corona suæ uniones, nisi vin-
ctorum concretos lachrymis ; poterat victrices Diomedis
equos per virgineos raptare artus : viluit enim Augusta chla-
mys, quam sanguinis non imbueret purpura ; poterat Rha-
damanthi ingenio longâ inediâ decrepitum subigere corpus ;
quo enim ad Majestatem componitur diadema, Antistitum
sudore metallum voluit impallere ; poterat armata Nemesis
in Apostoli lanienam cruenta stringere flagella, quæ laurea-
tos Consulum fasces, proborum toties livore, vulneribusque
contaminavit. Nesciunt enim imbutæ semel cruento fauces
mansuescere, & cuius sub serula à teneris adolevit feralis sce-
næ artifex, præfectum moderandæ Juventuti suæ Furorem
furore discipulus exuperavit. Sed absterge, quam prævius
suppliciorum terror altè animo ingessit, præ posteram solici-
tudinem absterge A.A. ut enim strata cadaveribus Thessa-
lia, semperque ante Cæsaris oculos visa confistere, mitiora
non nunquam homini præcipiti iniecit consilia, ita sanguina-
rio Tyranni ingenio tot Præfulum, tot Virginum, tot Adole-
centum manes, quibus obsidionali veluti indagine Barbarum
pectus circumfessum, clausumque tenebat, palmam, victo-
riamque vel invito extorxit JOANNES. Adde & promican-
tia è Divi obtutu fulgura, & librata ab ore Divini Periclis ful-
mina, tantis undiq; terroribus Domitiano infesta, ut, qui ho-
minis larvâ leones, tigrides, cerafas, & quod his portentis
crudelius, Domitianum cæsorum enutriverat jugulis, in JO-
ANNE uno tot monstrorum adoret Domitorem. Odiem Ro-
manæ libertatis auspicem ! nefastum Gentilitati ! faustum,
candidumq; Ecclesiæ, JOANNI gloriosum ! Explica deterfa
caligine latiorem frontem Germana Religio ! Amicas pacis
olcas

oleas obtrudit sub jugum acta crudelitas ; Efferte confectos
squallore vultus è spelæis , atque latibulis summi facrorum
Præfides ! patet tot feris & vectibus obvallata Apostolicæ
fortitudini septi-collis Regia ; confectæ sunt Latina inter po-
mœria fidei publicæ tabulæ , quas advocata in consilium Ty-
rannide præcepis sanxit Domitianus calamus , nihil cunctata
ferax prodigiorum JOANNIS magnanimitas ratas jussit, ha-
buitque . Hæ ut æternæ sint, nullaq; vetustatis oblitterentur
rubigine, aheneis inscruntur laminis ; ut firmæ, ac stabiles,
ferreis vinculorum, quibus Virginea Divi arctantur membra,
muniuntur annulis ; ut nullis obnoxiaæ fraudibus , effusæ ad
insolitum spectaculum Româ, festivos inter adfrementium
flammarum applausus recitantur. Quos enim sibi stimulos Ca-
paneus Hippomedon apud Papinum identidem subjeciebat :
nolo in hostem ire dolo ; pudet abuti tenebris; videar à flam-
ma, dum pugno ; Diviniori argumento, in Triumphali arena
JOANNES usurpabat, testesque virginei candoris sui ignes
sibi circumfundi patiebatur.

Huc & vos oculis A.A. quòd faces stygiæ , quòd ferales
tædæ præcunt , huc animis Inclyta Facultas Theologica !
quòd me populi Romanitorrens abripit ; & patentem Aposto-
licæ Gloriæ circum, qui magnos deditioñis arbitros JOAN-
NEM, & Domitianum amplectitur , hunc in solio arduum ,
illum æneo circumseptum aggere, hunc frequenti apparito-
rum, frequentiori scelerum stipatum commilitiō, illum nuda
virtute accinctum, debitissimis utriq; affectibus coronate ; Atque
si ex integerrimis Appiani monumentis intellexistis : Cili-
cum Regulos ortis super Regnorum, Urbiumque possessione
dissidiis, ad immanem rogum veluti sequestrum, ac causæ arbi-
trum litis examen detulisse, ardentissimis Divi votis Ausonia
patuisse claustra intelligite, qui atrocissima inter incendia, &
stygio sufflamata fomite innoxius triumphat. Stupet irrita-
ta licet novis furoribus flama suum exarmari robur , & inani
strepitu ludentium ventorum se circumvolitare ludibrium.
Stupet geminatos æstus, quibus Phalaridis tauro humanum
toties mugitum se extorsisse gloriatur , objecto JOANNIS
pectore restingui. Exuperat quidem, eluctaturque per ænea
repagula victor ignis , & ebullientis olei illapsus fluctibus
Virgineo super vertice colliditur, sed vel ut redactæ in obs-
dionalis coronæ circulum, innocentes flammæ victricem delin-
pietate canitiem illustri amplectentur diademate , quòd fa-
bulæ Ascanium, Cyrum Annales illustrarunt, vel ut cœlo
propiores Augustum Triumphatoris nomen artifices inter
scintillas, agnatis syderibus, confederatis superis perlegen-
dum,

dum, honorandumque consignarent. Nempe contacto sacro
corpore (tanta est reverentia Virginis) se se ad mansuetudine
ferox, indomitumque elementum componit, & in quam
Purpurata Tyrannis fracto tormentorum robore , inanibus
sævit tormentorum desideriis , innocentiam ab innocentia ignis
edocetur. Nec juvat edomitas jam jam divinitus flammam
iras novò sævitiae instrumento acuere : Oleum , & operam ,
quam tu perdis Domitiane ! sua lucra , sua præmia censem
JOANNES. Hiant etiamnum lethalia animorum vulnera ,
quæ non tam circumfrementum sicariorum immanitas , quæ
crudeliora sicarii flagitia inflixerat : hic succus Virgineis
consecratus artubus, præsentissimam hiantibus plagiis afferet
medelam. Destinantur adhuc arenæ , & caveis , quas recenti
irritatus clade undique Furor aperit , depugnaturi pro Christianis
aris , fociisque Pugiles ; Athletico hoc ad luctam ani
mati ceromate , initiatum vero Numini Capitolium , citra ad
ulationem immortalibus manubiis , laureisque locupletab
unt. O cæca Gentilitas ! & in tanto flammam collucentium
fulgore Cymmeriis immersa tenebris ! an non cernis hunc rogo
ardere sacrilegæ Tuæ Religionis funus , & cum hoc , impio tot
sæculorum thure adorata Numinum simulachra , in cineres ,
& busta concidere ? an non sentis ad stygiam hanc Vulcaniam
ultricia procudi fulmina , quæ major Tuœ Jove Jupiter in per
duellia Authorum capita eiaculetur ? Nisi mea me , nisi vestra
vos fallunt lumina A.A. Insilunt undique in confertam sa
tellitum aciem , ignita jacula ; effracto aggere impune vindic
tam circumagunt ; sine lege , sine discrimine minax flamma
bacchatur ; obvios repantino vulnere , longè positos terrore
involvit ; modo pectus , hic vultus , illic terga infami notat
stigmate ; incentorum imitata Tyrannidem ubique ignobiles
suo Furori imolat victimas , & quidquid operosi sceleris
diuturna molitus struxerat , fulmineus ignis prodigiosa erup
tione momento evertit. Ipse feralis scenæ artifex atrociori
percitus fulmine , abrumpit se se ab infelici area , & jam tum
Tartarea prælibat incendia , æternò flagitorum pabulò nutri
enda. I, perge Purpureate latro ! & per strata muscarum ca
davera Triumphales , si Diis placet , quadrigas impelle ; sparge
sparge feralis Cometes raptæ de Furiarum tædis incendia. Il
lustrior surgit de cinere Phœnicis gloria , & quantum sumam
in terris , quæ effulges , Majestatem , pestilenti afflas fuligine ,
tantum æterni splendoris Apostolicæ Fortitudini , tantum
legi Divinæ , dignitatis accumulas. Hic , hic illustris focus , non
uniuersi areæ conclusus angustiis Orientem , & Occidentem er
rorum

errorum involutum caligine, spe immortalitatis accendet; Hæc flamma Barbaros totò abscisso Oceanò fidei collustrabit lumine; hoc incendium, Riphæum, quod imbellibus animis tormentorum procella superinduxit, timoris gelu resolvet. Video, video, quām conferto agmine validis propulsæ suspiriis sacri ardoris favillæ Romanis undique illabantur arcibus, quæ, dum cæcūtientium ad meridianum veritatis jubar noctuarum vulnerant palpebras, prolapsas in avitam caliginem mentes, amabili fulgore perstringunt. Quis inde repente animorum vigor? quæ voluntatum alacritas? quod incensum Religionis profrendæ studium? ut facilè anteacti mœroris tempestas in præsenti sacrorum exultatione, serenitateque elucescat. Quām pulchrum Spectaculum! contempricem nuper, nunc vindicem Dei Romam, adorata illa etiam saxa, deque fastigio suorum collium raptas Deorum imagines, sublatò à JOANN E viætrici signo, allidere solo, confundere ferrò, abolere ignibus, flamma jam delente scelus, quod paulò ante flamma conflaverat, ut profligata Numinum recordatio non nisi in scabris lapidibus, mutisque Annalium foliis consenescat. Jaçtent jam, perme licet, coronatum laureis Istrum, compactum in vincula Rheum, Carthaginem ab alto fortunæ detractam culmine Camilli, Scipiones, Fabii, & sexcentæ Heroum Umbræ, atque emendicatis à subactis gentibus Africani, Dacici, Germanici, superbis compellationibus ad Posteros inclarescant, illustriùs, sanctiùsque, à dedita Christo Roma, Romanæ fidei Servator, Latinæ Ecclesiæ Vindex audiet JOANNES, qui pietatis, & communem cum Cœlo causam amplexus, superstitionis omne expunxit nomen, legumque Sacrarum tabulas è suo pectore in omnium transfudit mores, & prodigiosis recoctam flammis Divinitatem aris reposuit splendiorem. Nullus sanè post Orbem, Urbemque conditam florentissimo Imperio candidior illuxit dies; nullus Triumphus illustrior, quem non de concidentibus suo flagitorum pondere Imperiis, sed dejectis statione, speque sua æternæ noctis asseclis, Roma hodie exurgenti rursum Ecclesiæ decernit. Non raptantur quidem ante Viætrices currus depresso in mancipia Reges, sed exempta jugo, ac in libertatem asserta incedit Pietas; non aguntur ferreis implexi laqueis Barbari, sed aureis Charitatis vinculis adstricti tripudiant animi; non subactarum Urbium aurò, argentóque coelata præcunctrudera, sed edomita vitiorum monstra: depressa in cinerem pulveremque suum Ambitio, extinctis facibus libido, excusso dente invidia, perculta terrore Audacia, objecta fannis, ludibriisque Crudelitas, quæ cum peregrina Na-

tionum undeque adfluentium colluvione civitate donata,
sacri profanique Honoris gubernacula tractabant. Effert hæc
inter Siccatis iterū lachrymis, obligatisque vulneribus Serenum
Ecclesia verticem, & cladibus suis major, è ruinis, ac ruderib-
us immensa olim amplitudinis excitat fundamenta. Emi-
cant ab Aventini tenebris prope enecti situ, ac illuvie summi
sacrorum arbitri, & geminata luce diurnam abstergunt no-
ctem, cœli, ac Religionis. Pandit ineluctabili errorum cate-
na, præclusa Tyberis ostia, & velis, remisque advolanti Petri
Cymbula placidas, perennesque undas substernit. Quos profa-
na, eaque Sacrilega paulò ante incestavit flamma, purior Pieta-
tis ignis, æterno immolat Numini Sabæos odores; quæ nobili-
tata stupris Deorum monstra insederant altaria, lustralibus ex-
piata Sacris, Deo, ac Cœlitibus consecrantur. Ille etiam fœ-
cundus Martyrum crux, quo tellus non lenibus madefacta sti-
licidiis, sed perpetuo imbuta est imbre, nova recreatur Roma-
næ libertatis facie, tantoque gestit gaudiō, tantis exilit lætitias,
quantis se se furentium mueronibus objecit. Longum foret in-
sistere singulis, & paulò grandioribus, quām ut pro rei dignita-
te, in has, quas nobis circumdedimus, concisæ dictionis angu-
stias compingi queant; Evolvent olim se se ex immenso tempo-
rum sinu ter fortunata Sæcula, & Aureō illo Poëtarum ævō au-
spicationa longè, quæ jugulatis ad aram superstitionum reli-
quiis, Tutelarem Ecelesię manum in Sacratissimo JOANNIS,
cinere & postuma prodigiorum gloria exotculabuntur. Cùm
enim Vaticana Majestas Purpuratos inter Proceres Sanctiora
Urbis insidebit fastigia; cùm à Romanis Oraculis, & arbitra-
fatorum urna sponte tributarius pendebit Orbis, cùm Beatissi-
mis affusa pedibus per Oratores diademata huic uni Capiti ob-
noxios substernent apices; cùm disjecto inani fulminatore Vi-
cacia Dei manus Divino armata fulmine in perduelles Quirinali
è Cœlo detonabit; cùm delubra Herculis, Minervæ, Apollini,
Martis, mutato nomine implebunt Cœlites; cùm Adriani
molem, & circumfusa Religionis pomæria Præsidarii Serva-
bunt Aligeri; cùm Roma demum Syderibus familiares misce-
bit terras, & Orientem Occidentemque Paternis adstrictum
brachiis æterno Numini faciet vectigalem, Grata respiciet iden-
tidem uberrimum gratiarum fontem, unde tanta in Christia-
nam Rempublicam imortalia extitère merita, eumque Suppli-
cibus votis, & incruentis victimis coronabit. Cernent ventu-
ræ Olympiades, & non sine undantibus gaudiō cernent lachry-
mis, Augusta crucis trophyæ in ultimō deficientis naturæ de-
figi margine; cernent Thulen ad usque extremam Romanæ

Sancti-

Sanctitatis deduci colonias ; cernent nullis unquam Quiritum peragrata victoriis maria , Ecclesiae , Piscatoris despontari annulò ; & quod Romanæ Aquilæ triumphalem nunquam potulerant famam , Romanæ Religionis venerationem procurrisse cernent ; at simul ubi tantorum facinorum admiratione attonita hæreditat Posteritas , transmarinas palmas , & laureas in JOANNIS sinum venerabunda deponet .

O præpotens Roma (Te supremum mea compellat Oratio) ô præpotens Roma , non iam terrarum , sed cœli quoque fasces potentiae complexa ambitu , quod gratiarum pendes vectigal Tuo Vindici ? Quam sternes victimam Servatori Tuo ? quos honores , quæ vota , Tibi , Christo , Ecclesiae æternum redditia Sospitatori Tuο nuncupabis ? Quod aggerum turriumque coronâ sibi gloriam , Urbi securitatem Augustus circumdedit , applaudit Cæsari vocalis in ære , ac marmore Eloquentia : ob fopita , parcè profuso , quod Medicorum est , sanguine civilis belli incendia servant Nervæ memoriam implexæ oleis Pyramides : Trajano , qui prolatis potentiae finibus , ubi limes desinebat Imperii , cor , & centrum effecit , obelisci assurgunt gestorum gloriâ , quam artifice scalpro nobiliores . Nolo ego quidem everfa Portæ Latinæ claustra in arcus curvari Triumphales , nolo Gentilium more triumphantis Capitolii pugmata Apostolicis substerni vestigiis : Nili pyramides , Traiani columnas , peritura sublunaris pompe ludibria verius , quam argumenta innixa cœlo virtus aversatur . Augustius aliquod intra gratæ mentis aream Romana describit magnificientia pietatis monumentum , cui vaticana olim Posteritas supremam imponet coronidem , quia æternitatis . Stabit Beneficentissimo Tuο inscriptum Numini immortale Christianæ Fortitudinis Trophæum , consecratum Apostolicis Honoribus Capitolium , Lateranensis stabit Basilica , eludetque superbæ moles , quibus Romana saepe ingenia ambitioni suorum Principum blandiebantur . Succollabunt immensum opus Indigetis sui conscientia , naturæ , artisque miracula , & Paro lapide hausta oculis prodigia , venturis saeculis enarrabunt . Vivent ut ut gelidis in Carbunculis innoxia & hic incendia , perpetuo quæ nos illibatae inter flamas Virginitatis admonebunt ; Propinabit refusus in aurum lebes aheneus unionem Virgineum , sed nullo cliquatum furoris æstu , nullo fractum pondere tormentorum . Fluent , refluentque gemmeos inter limites ebullientis olei fluctus , & inde agitata procellis Religio secuturæ tranquillitatis vaticinia derivabit . Veneranda præprimis Di vi canities , auctis pro salute nostra præcipitata curis redde-

tur ebore, vegeta spirabit in coloribus, firmius, tenaciisque
in annua solennitatis hujus virebit memoria, quam supplici
ad aras thure, festivo tubarum fremitu, & altius resonante
conspirantium votorum concentu hodie denuo instauravit, non
minus dignitate, quam Tutelaris sui veneratione Inclyta Fa-
cultas Theologica. Hæc & sanguinis sui, quantus quantus
ille in venis ardet, tributariam tingendæ Tuæ Sindoni sistit
purpuram, quâ tuum excipere cruentem, ærumnarum sitien-
tissimus gestiebas. Illa Triumphalem, qualem Tua descripsit
Fortitudo, adorem è studiosissimis textit affectibus, eaque,
dum verticem acta in corollam ambiunt sydera, viætrices plan-
tas obsequiosa incingit. Ego quoque Tuis hodie initiatu-
stipendiis Orator, in tenui Eloquentiæ supellectili grande
Amoris, & obsequii pignus, tantique argumenti nobilitatum
magnitudine Tuis aris anathema defigo. Merito quippe non
tantum Principi suo, sed & vindici, & Custodi, votiva inter-
munera vitam, sanguinemque accumulat Facultas Inlyta,
qui ea manu, quâ Christianis prope avulsam à sacris Romam
Romæ redonavit, nullo posthac fatorum turbine evertendam,
excussam pariter suò fastigiò scientiarum Reginam in avitum
repositum solium perennaturam. Quidquid enim splendoris,
quidquid Majestatis in illo eminet doctrinæ apice, ex incon-
cussa fidei nunquam intermorituræ petra, perenni scaturigine
promanat, quidquid Divinitatis Vaticanis in Oraculis affusus
adorat Orbis, ex illis Theologiæ rivis, fluminibusque, reci-
proco tramite in hunc Oceanum reflectitur. Quam diu ergo
splendidissimis se se legibus Christo deditam JOANNE Ar-
bitro Roma lætabitur (lætabitur autem æternum) tam diu
instaurata quot annis solemini ad aras veneratione dedi-
tam, devinctamque Inlyta Facultas Theologica,
id est : æternum se quoque confitebitur

JOANNI.

D I X I.

